

fici sit et cum eodem debeat esse conjuncta, a Christo immediate collatam attinet, necdum attigimus; quia systemati nostro nil officit, sive immediate a Christo, sive mediante Pontifice tanquam causa proxima, aut Conciliis aut Episcopis sua, quam habent et exercent, potestas et auctoritas dicatur collata; modo veritas subordinationis ac dependentiæ, et necessitas conjunctionis cum Pontifice maneat salva. Quoniam tamen abusum sententiæ huc non pertinentis fieri ab adversa parte deprehendimus, et veritas assertionis nostræ robor ac lucem ex questionis hujus interpretatione capere potest; adjicimus brevem episcipis de modo collatæ potestatis, et quidem unice respicientem Episcopos: quandoquidem Concilia Episcopis nihil nisi collectionem, hanc vero non intensionem, sed extensionem tantum potestatis addere, alibi jam declaraverimus. In quam rem:

Supponimus 1º. Episcopalem dignitatem divinitus et a Christo institutam esse; ac proin eandem in universum a Pontifice tolli aut omnino abdicari non posse: prout, præter Scripturæ documenta, Ignatius in ep. ad Ephesios, Cypr. in ep. 63, Basil. in ep. 77, Leo ep. 89, Conc. Toletan. VIII. c. 7, Bern. L. 3. de Consid. c. 4. ostendunt. 2º. Potestatem huic dignitati congruentem Episcopis esse propriam, et mensuram nominis ita implere, ut Episcopi sint veri Ecclesiæ Principes, Hierarchæ ac Judices; non autem Pontificis tantum locum tenentes, vicarii, delegati aut consilarii: hoc enim ex iisdem monumentis colligere licet. 3º. A potestate Ordinis distingui potestatem jurisdictionis; hancque potestatem aliam esse completam, jam ordinatam ad subditos, et proxime expeditam, ad valide prodeundum in actum secundum; aliam incompletam, necdum eo ordinatam, nec ita expeditam, sed aliquid adhuc sive ex parte principii, sive ex parte termini desiderantem, ut valide in actum secundum prodeat: quemadmodum Lateranense IV. et Florentinum indicat, Tridentinum autem Sess. 14. de Pœn. c. 7. et Sess. 23. de Reform. c. 15. decernit. 4º. Hanc potestatem jurisdictionis incompletam una cum potestate Ordinis vi consecrationis Episcopis conferri a Christo tanquam proximo auctore ac immediate: quod quidem ex præsuppositis admissis sequitur, et adversariorum argumentis tribuitur ultro. 5º. Controversiam itaque, si qua restat, esse hanc: An potestas completa, ordinata jam ad subditos, et proxime expedita ad valide prodeundum in actum secundum, etiam immediate sit a Christo; an vero tantum mediante Pontifice, qui scilicet ut auctor immediatus, non quidem principalis (qui solus est Christus), sed minus principalis, pro auctoritate sibi propria det illam et conferat?

Postremam hujus problematis partem esse possibilem, negabit nemo, qui primatum Pontificis, nedum in universam Ecclesiam, sed vel in omnes particulares Ecclesias, tantum admittit: atque hinc disparitatem quivis intelligit, cur nec consecrator Episcopus, nec electores Cardinales, nec Ecclesia acceptans, Pontifici dare possint propriam hujus muneris potestatem, sed Christus eandem immediate tribuat; cum ex dictis constet, præter Pontificem, nec hominem singularem, nec collectionem hominum ullam pollere potestate Ecclesiæ suprema: adeoque unus Christus, cujus manibus, Pontifice mortuo, claves regni cœlorum relinquuntur, eandem Papæ recens electo concedere potest. An vero eadem pars realis etiam sit ac in præsens reapse constituta, Concilium quidem TRIDENTINUM, Patribus in diversa distractis

non decrevit: ut tamen oppositæ præferatur, suadere potest tum auctoritas tum ratio jure et facto probata.

Auctoritatem quidem præbent 1º. Pontifices tanquam juris sui assertores; ex quibus Innocentium et Leonem, utrumque primum, laudasse sufficiat. Forum prior in ep. ad Conc. Carthag. ita effatur: *Scientes quid Apostolica Sedi debeat, a qua ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emer- sit; et in ep. ad Victricium Rothomag. Incipiam adjuvante Petro, per quem et Apostolatus et Episcopatus in Christo cepit exordium*: posterior in Serm. 3. de Assumpt. sua c. 1. sic loquitur: *Magnum et mirabile Petro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune voluit cæteris principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit; et in ep. 10. c. 1. Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet.*

2º. Episcopi, tanquam ultro contra causam suam deponentes; inter quos Optatus Milev. L. 7. contra Parmen. inquit: *Bono unitatis Petrus et præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris accepit*: Greg. Nyss. Orat. adv. ægre ferentes castigationem: *Christus per Petrum Episcopis dedit claves cœlestium bonorum*: Cæsarius Arelat. in ep. ad Symmach. *A persona Petri Episcopatus sumit initium*: Patres Synodi Rhemens. in sententia contra Fulconis homicidas: *In nomine Domini et virtute Spiritus, nec non auctoritate Episcopis per B. Petrum collata, ipsos a S. Matris Ecclesiæ gremio segregamus.*

3º. Doctores et Principes Scholarum; nempe D. Thomas L. 4. cont. Gent. c. 6. docet Petro collatam esse clavium potestatem, *per eum ad alios derivandam, ad conservandam Ecclesiæ unitatem*: S. Bonaventura in Opusc. cur FF. Min. prædicent, enuntiat omnem, quam Pontifice inferiores Ecclesiæ rectores habent, *curam et totam potestatem super subditos ab ipso accipi mediate vel immediate*: Egidius Romanus in Opusc. Cont. Exemptos c. 2. *Episcopus statuit per Pontificem vel per auctoritatem ejus assumptos in partem sollicitudinis.* Eadem asserunt S. Antoninus, p. 2. Sum. Theol. tit. 22. c. 3. §. 5. cum aliis pluribus trium harum Scholarum Doctoribus.

Ratio, quæ Juris est, desumitur 1º. Ex plenitudine potestatis: quam non dederunt supposititiæ Decretales, sed Primatus auctoritativi notio et munera deposcunt et asserunt. Hujus uti et sollicitudinis tantum partem Episcopis a Pontifice communicatam declarant Leo Caus. 3. Quæst. 6. Can. 8, Gregorius Caus. 2. Quæst. 6. Can. 9, Innocentius Cap. 4. de Auctor. et usu Pallii, et Leo X. in Bulla de Privil. Relig. in Later. V. editæ: ubi quamvis duo priores de potestate vel Patriarchali vel delegata agant; sicut tamen interventus Pontificis declarat, extensam hanc potestatem, non a Christo, sed a Pontifice immediate provenisse; ita et necessitas confirmationis Pontificiæ probat, auctoritatem in Diœceses proprias competentem, proxime non profluere a Christo, sed a Pontifice. Porro oblocutionem unius Episcopi Sighi contra Leonis X. assertum vim nullam habere, nemo facile dubitabit.

2º. Ex præconizatione Episcoporum Romana, et horum confessione litteraria; quia in illa Episcopis a Pontifice non tantum committitur administratio in temporalibus et spiritualibus, sed etiam auctoritate Dei, Apostolorum et

*Pontificis providetur Ecclesiae de persona, et hæc præficitur in Patrem, Pastorem et Episcopum Ecclesiae*: in hac vero se *Dei et Apostolicæ Sedis gratia* Episcopos contestantur. Quamvis autem utrumque sit recentioris formæ, est tamen juris antiqui in primigeniis Primatus fundati; nec auctoritas, qua Pontifex facit prius, est mere instrumentalis et conditionalis, sed æque propria et divinæ contradistincta, ac alia jurisdictio Ecclesiastica: nec Confessio Episcoporum est voluntaria, sed necessaria, hoc ipso quod in litteris ad Pontificem, cujus illa interest, omitti nequeat.

3º. Ex paritate cum jurisdictione Presbyteriali; quæ incompleta licet vi ordinationis sacræ a Christo immediate proveniat; eam completam tamen non obtineri nisi ab Episcopo, vel munus aut beneficium curatum conferente vel delegante, nullus sane post TRIDENTINUM sup. citatum ibi jam inficias: undecumque demum, sive ex parte principii, sive ex parte termini, ante illud factum defuisse aliquid ad validam absolutionem dicatur; quæ diversitas loquendi ad litem duntaxat nominis reipsa spectat: præsertim cum Catholici conveniant, Presbyteros pertinere ad Hierarchiam divinitus institutam; et hos quidem ministris, Episcopos Presbyteris, Papam Episcopis jure divino esse superiores.

*Ratio* demum facti subministratur 1º. ex amplitudine et angustia potestatis, in Patriarchalis apicis ac Metropolitanici primatus institutione, juxta litteras Innocentii I. et Nicolai I. a Gratiano relatas, a Pontificibus profecta; in erectione, unione ac dissolutione Episcopatum etiam nostris temporibus, per Pontificem confecta; in reservatione casuum aut dispensationum, in translatione aut depositione Episcoporum, per omnem ætatem, ex Pontificum facto frequentata.

2º. Ex Episcoporum varietate; quorum alii, sine certa ac determinata jurisdictione olim creati, vocabantur Regionarii, ut SS. Pantenus, Quadratus, Martialis, Samson etc.; alii ad certas quidem partes infidelium, sed in quos nulla viget Ecclesiæ potestas, designati, quos Titulares appellant; alii mere honorarii et hac etiam designatione carentes, quorum exempla Sozom. L. 6. hist. c. 34. et Niceph. L. 11. c. 4. in Barsen, Eulogio et Lazaro referunt.

3º. Ex alieno jurisdictionis subjecto; cum dentur Abbates, Ordinum superiores, Cardinales et alii, qui gaudent potestate quasi Episcopali, quantumvis illo caractere non insigniti. Quæ omnia, sicut jurisdictionis potestatem incompletam et Episcopis debitam a Christo immediate descendere nullatenus negant; sic completam et alicubi mere delegatam a Pontifice tum authentice tum immediate promanare demonstrant.

181. Pro adversa parte equidem opponitur:

1º. quod Act. 20. dicatur *Spiritus sanctus posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei*, nulla mentione hominis intervenientis facta.

2º. Quod Joann. 6. Apostoli omnes dicantur *electi a Christo*; ad Galat. 1. autem Paulus *Apostolum non ab hominibus neque per homines, sed per Jesum Christum et Deum Patrem*, se compellet: Episcopos autem esse *successores Apostolorum*, Cypr. epist. 42, Hieron. epist. 54, Aug. in psal. 44, Greg. Hom. 26. in Evang., Trident. Sess. 23. Cap. 4. de Sacram. Ordinis testentur. Unde pariformem cum Apostolica ordinariæ saltem potestatis derivationem Episcopis adjudicandam, sequitur.

3º. Quod per manuum impositionem seu consecrationem conferatur Episcopis jurisdictio; tum quia primis seculis Episcopus consecrando confirmabatur: tum quia potestas jurisdictionis æque ac potestas ordinis ad Episcopatum essentialiter spectat: tum quia utramque *indelebiter manere*, quia per consecrationem datur, D. Th. in 4. Dist. 23. Q. 1. Art. 2. ad 2. docuit.

4º. Quod primigenia Episcoporum potestas suis pro diocesis plenaria sit et solida, ut ex Matth. 18, ex 1. ad Timoth., ad Tit. 1, item ex Ignat. epp. ad Trallens. et Smyrnæos, ex Cypr. epist. 27. et aliunde probatur: teneatque proin hæc regula: Episcopus ea omnia potest pro sua diocesi, quæ summæ sedi specialiter reservata non dignoscuntur; non admittenda autem sit ista: Episcopus pro sua diocesi nihil potest, nisi quod a summo Pontifice vel jure vel consuetudine constat concessum. Inde vero Episcopis potestatem a Christo immediate dari evincitur.

Sed enim oppositio hujusmodi *imprimis* manifestam patitur instantiam in Parochis seu presbyteris curatis. Nam et hos ad Ephes. 4. *Christus dedit pastores et doctores*, utpote ab *Apostolis* prius nominatis *alios* et distinctos: ipsi etiam juxta Origen. in epist. ad Rom., Chrysost. in epist. 1. ad Cor., Bedam L. 3. c. 10. in Luc., Hincmar., Theodulph. etc. *successores* sunt discipulorum Christi: iidem per ordinationem sacram accipiunt in corpus Christi mysticum potestatem essentialiter sacerdotio ac indelebilem; quin hæc potestas, quoad forum internum, per se plenaria et solida est, quia ordinariam jurisdictionem, et qua proprii sacerdotes, habent, adeo ut valeat etiam regula: Parochus in hoc foro omnia potest pro sua parochia, quæ a superiore reservata non dignoscuntur.

*Deinde* vim nullam habet ex sua forma et argumentandi ratione; cum sequentes similis formæ argumentationes non teneant: *Omnis potestas est a Deo*; aut *per Deum Reges regnant, et legum conditores justa decernunt*: ergo omnis potestas confertur a Deo; aut regna gubernantur et justa decernuntur per Deum, utrobique immediate. Roboam, Abias, Asa sunt successores Davidis: ergo sicut hic immediate a Deo evector est ad regnum, sic et isti. Vi unctionis sacræ per Prophetas aut Sacerdotes conferebatur regia potestas regibus Juda: ergo hæc Deum habuit immediatum collatorem. Plenaria et solida potest esse potestas præsidis in sua provincia: ergo nequit esse collata mediante Prorege, cum vicaria summi Imperii potestate ad hanc et alias provincias gubernandas constituto.

*Denique* rem nullatenus conficit vi materiæ, in qua vel veritas antecedenti, vel nexus consequenti, vel tendentia ad scopum argumento deest.

Hinc ad 1. *R. Textus Actorum*, si etiam de Episcopis accipiatur, non tamen de his solis, sed simul de presbyteris intelligi litteraliter debet. Omissio mentionis de humano interventu eundem non excludit, sicut silentium de solitaria Dei actione eandem haud negat. Veritas sensus salvatur vel per inspirationem divinam in delectu personæ et per actionem humanam intermediam in collatione jurisdictionis, vel per positionem mediatam, non gratis confictam, sed satis probatam.

*Ad 2. R.* sicut electio Apostolica, de qua Textus solum loquuntur, immediate divina, pariformem non exigit in successoribus eligendi modum; sic nec communicatio potestatis, de qua nihil enuntiatur. Ratio successionis Apostolicæ ne quidem delationem potestatis omnia a prædecessoribus pos-

sessæ postulat; multo ergo minus eandem translationis methodum exigit. Episcopalis demum notio in Tito, Timotheo aliisque per Apostolos eluxit sine successione: quæ scilicet cessationem aut mortem antecessoris supponit.

*Ad 3. R.* Facile conceditur, per consecrationem tribui jurisdictionem, sed incompletam, et non nisi aliquo accedente, valide reducibilem in actum; plus etiam rationes adjunctæ non probant. Nam primorum seculorum praxis pro completa potestate ostendit necessitatem confirmationis a Metropolitana aut Patriarcha impertiendæ: horum autem auctoritas; quoniam ex dictis orta est ab institutione Pontificia: confirmatio ejusmodi saltem remote a Pontifice obvenit. Quæ Episcopali muneri essentialis est jurisdictionis potestas, non est completa et proxime expedita; cum hæc ab Episcopis Titularibus ac mere honorariis absit, reperiatur autem in aliis etiam non Episcopis: unde incompleta tantum ad essentiam pertinere potest. Nec alia est perpetua et indelebilis, quam eadem potestas incompleta; cum ex omnium calculo Episcopus altera spoliari possit, spoliatus autem invalide agat.

*Ad 4. R.* Ultro tribuitur omnis et in omnes, h. e. plenaria et solida potestas Episcopis pro sua Diocesi esse congenita, si tamen incompleta intelligatur: si completam acceperis; Pontificis voluntas tum ex actibus tum ex subditis decerpere quidpiam et eximere potest: ideoque in hac acceptione nec solida et plenaria, nec congenita dicitur. Proinde liquet, quo sensu utraque regula valeat et admitti possit: quandoquidem prima priorem, altera posteriorem potestatem pro subjecto enuntiationis habeat.

Sufficiant hæc dicta, ne ex refutata opinione validum fieri possit contra Pontificis superioritatem argumentum: neque enim hic locus est, quæstionem ipsam decidendi; neque animus eam ulterius quam modo necesse sit proferendi; neque alterius sententiæ probabilitati officendi, ad eum scilicet modum, quo BENEDICTUS XIV. materiam hanc L. 1. de Synod. Diocæs. c. 4. num. 2. attigit.

QUÆRES; *An in causa Ecclesiastica fas sit appellare ad magistratum civilem, aut ab Episcopo ad Pontificem, aut a Pontifice ad Concilium Generale.*

182. *Nota.* Duplicem Galli distinguunt appellationem; alteram meram ac simplicem, alteram tanquam ab abusu. Prior est, in qua ab inferiore iudice provocatur ad superiorem; quia in iudicis inferioris sententia reputatur esse iniustitia, quæ per hujusmodi appellationem superiori iudici emendanda exhibetur: posterior est, in qua a iudice Ecclesiastico ad civilem provocatur; quia ille in iudicando ordinem legitimum, a jure vel naturali vel positivo præscriptum non servasse putatur, quem ut restaurari aut servari faciat, iudex civilis hac appellatione imploratur. Soli Heterodoxi appellationem simplicem in causa Ecclesiastica ad tribunal politicum licitam statuunt: Catholicorum nonnulli illam tantum, quæ ab abusu dicitur, defendunt.

Quod provocationem ad iudicem Ecclesiasticum attinet, si sermo est de Pontifice, plerique conveniunt eam ad hunc legitime interponi: Qui repugnant, dissentiunt vel in origine, vel in antiquitate, vel in proprietate; dum volunt eam esse institutionis Ecclesiasticæ, usus recentioris, et significationis improprie, appellationem scilicet sumendo pro revisione: hæc autem juxta

Petrum de Marca in eo differunt; quod appellatio vim habeat suspendendi sententiam priorem, transferatque integram causæ definitionem ad iudicem superiorem, qui quæstionem excutit et definit in suo tribunali: Revisio autem hanc vim non habeat, et definitivum iudicium relinquat priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus iudicibus novi etiam adjungantur. Ubi autem sermo est de Concilio Generali, opinionum diversitas pendet a diversa circa præcedentem Articulum sententia, ad quem penitus complendum quæstionis præsentis pars postrema pertinet, sicut priores pro supplemento dictorum de subjecto potestatis Ecclesiasticæ et primatu Ecclesiæ adjiciuntur.

183. *Respondeo I.* Per se illegitima est in causa mere Ecclesiastica appellatio tanquam *ab abusu*; seu a iudice sacro ad iudicem secularem. *Per se* inquam; quia, num praxi quorundam tribunalium faveat privilegium Pontificium, aut consuetudo, non tolerantia solum, sed tacito saltem Papæ consensu munita? hic non attingimus.

*Prob.* Appellationi hujusmodi nullum jus favet, sed multiplex potius contrariatur: ergo. *Ant.* 1<sup>a</sup> p. patet; quia 1<sup>o</sup>. non favet *Jus defensionis*, quo Princeps vi aliena oppressos tueri potest ac tenetur. Nam imprimis civi vim vi repellere non licet, si in instanti adsit efficax medium aliud, quod vim cohibeat: nec post vim illatam licet jus sibi dicere, vel alienis viribus vindicare injuriam; sed coram iudice agere oportet: nec, ubi etiam injuria reparari nequit, licet legitimo iudici se opponere; quia pax Reipublicæ et salus hoc videntur exigere, ut potius civis particularis damnum permittatur, quam legum mandata omittendo, bono publico noceatur. Atqui vim ex iudicis Ecclesiastici sententia inferendam impediendi medium præsto est in appellatione ad iudicem superiorem ejusdem ordinis; utpote quæ executioni locum non permittit: illatam autem superior iudex plerumque reparare potest: ergo ex defensionis jure non licet provocare ad Magistratum secularem: cum hoc sit auxilium alienum; præterea vero, quod defendendi jus Princeps habet, maxime nitatur in jure defensi.

Deinde *jure defensionis* qualicumque in causa mere civili, iudex secularis nullus permittit, ut appellatio velut ab abusu fiat ad iudicem Ecclesiasticum; sed recurrendum est ad supremum senatum seu Principem; aut si injuriæ reparandæ ratio nulla sit, ferenda est patienter: ergo vicissim jus defensionis in causa Ecclesiastica hanc provocationem ad Magistratum secularem non fundat; præsertim cum sat indulgentiæ sit, æqualibus cum seculari potestate limitibus contineri Ecclesiasticam, quæ multo est nobilior et pluribus titulis præeminet.

2<sup>o</sup>. Non favet *jus custodiendi et exequendi Canones*, quod Principibus competit. Imprimis enim hujusce juris naturam rite exposuit Isidor. L. 3. de Sum. Bon. C. 13. scribens: *Cæterum intra Ecclesiam potestates seculi necessarie non essent, nisi ut, quod non prævaleat sacerdos efficere per doctrinam sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem*; quod sane ad judicia vulgaria non pertinet: si autem ob judicia forsitan contempta necessarium foret, iudices Ecclesiastici id exposcerent, iisque poscentibus Principes pro illo suo jure præstare deberent. Deinde Canones ipsi monent, non recurrendum alio, sed superiorem esse adeundum, qui iudicium sinistrum corrigat, et injurias reparet illatas: ergo ex Canonum custodia et executione, declinato

superioris Ecclesiastici tribunali, ad seculare provocari non licet. Denique jus hoc Principum remotius haud impedire debet jus Ecclesiae proximum, suas leges sicut sancienti, sic custodiendi et exequendi: nec exerceri potest cum violatione juris alieni; quia vel ordo declarari iniquus nequit, sine materiae ipsius mere Ecclesiasticae cognitione; vel ipse ordo, proprio Ecclesiae jure sive statutus, sive adoptatus, ad ejusdem examen, et judicium pertinet.

Similiter 2<sup>a</sup> p. elucet 1<sup>o</sup>. ex argumentis omnibus, quibus in Tr. de Legibus potestas gubernativa Ecclesiae asseritur, et illa non penes Principes sed Episcopos esse demonstratur. 2<sup>o</sup>. Ex genuina appellationis notione et probis potestatis civilis limitibus: quarum illa hic non invenitur; isti autem inviolati non servantur. 3<sup>o</sup>. Ex novitate, raritate, et malignitate hujus remedii. Id enim ante seculum XV. inauditum fuit et incognitum: si autem conditiones requisitas habeat, ut nempe abusus sit notorius, Papa desuper monitus mederi renuat, indeque tranquillitas Christiana haud turbetur; tum enim vero rarissimum erit: patentissimam abusibus portam aperit; de qua non Episcoporum tantum, sed et Causidicorum querelas in libris Gallicis non paucas reperire est.

184. *Objic.* Jure et facto constat legitimam esse appellationem tanquam ab abusu. *Prob.* 1<sup>o</sup>. In judiciis Ecclesiasticis possunt evenire casus, ubi scandalum et offensio publica oriatur, aut Clericus innocens opprimatur: sed Princeps a Deo potestatem habet et *in vindictam malorum*, et in tutelam bonorum: ergo sicut hoc jus exercere, sic appellationem ad illud admittere potest. 2<sup>o</sup>. Judiciis hujusmodi potest laedi Reipublicae pax et tranquillitas: sed Principum ex Apostolo est curare, *ut quietam et tranquillam vitam agamus*: ergo. 3<sup>o</sup>. Princeps est origo omnis jurisdictionis, saltem contentiosae: ordo judicialis, etiam Ecclesiae, desumptus est ex antiquis Imperii Legibus: teste Gregorio et Hincmaro, irrita fuerunt Ecclesiae judicia, in quibus contra Imperii leges fuit actum: ergo et Princeps legibus his ac ordini tuendis insistere, atque ob illa laesa evocari potest.

*R. ad Arg. N. Ass.* Probatum in quibusdam plus quam Adversarii Catholici velint; appellatio nimirum simplex, non autem ab abusu tantum: in quibusdam vero minus; scilicet mera defensionis potestas, quam Magistratus, non quidem ut superior, sed ut viribus pollens, adeoque Patronus quilibet potens ab oppresso imploratus proferre potest.

*Ad Prob. quoad 1. R. 1. N. Cons.* Posse dari casus, in quibus ad secularem potestatem *in thesi* licitum sit perfugium, non negamus; tres ideo horum casuum conditiones supra attulimus, et hinc rarissimos diximus. Hinc vero 1<sup>o</sup>. non sequitur, regulariter illud valere: nec 2<sup>o</sup>. expedire; cum ob bonum publicum id etiam in secularibus judiciis non permittatur passim; nec 3<sup>o</sup>. enasci inde jus proprium appellationis; cum idem ab Adversariis negetur potestati Ecclesiasticae respectu causarum civilium; quamvis et illa auctoritatem spirituales habeat, eaque a CAROLO CALVO contra Salomonem Britonum Ducem, et a Ludovico Transmarino contra Hugonem, ab aliis contra alios fuerit implorata.

*R. 2. N. min. quoad hypothesin.* Nam 1<sup>o</sup>. scandalum fit magis publicum, si delictum Ecclesiasticum deferatur ad forum civile: 2<sup>o</sup>. Augetur etiam; dum hac delatione iudices Ecclesiae superiores, velut de injustitia suspecti tradu-

cuntur ubi praetereuntur: 3<sup>o</sup>. Non tollitur facilius a Laicis quam ab Ecclesiasticis iudicibus, recti pronius ex sua religione observantibus: 4<sup>o</sup>. Si etiam non aliter, quam a seculari potestate tolli posset, ipsi Ecclesiae iudices eam implorabunt. Praeterea Clericus oppressus superiores iudices proprios habet; qui vim tollere possint: si non possint aut nolint, Ivo CARNOT. ep. 159. suadet: *Si qui aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae auctoritate conquerrunt, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium*: si tamen ea Clerico animi fortitudo desit, ut injustitiam patienter ferat, praesidium non a Principe tantum sed a quolibet, cui vires suppetunt, expeti potest, ad quem tamen proin appellationis jus non datur.

Quoad 2. *R. Materia* mere Ecclesiastica nexum nullatenus habet cum statu Reipublicae: si tamen latum de ea iudicium occasio turbarum foret, id vel a iudice secularem jurisdictionem violante, vel a reo juste aut injuste damnato oriretur. In primo casu rectius monetur iudex Ecclesiasticus, vel laedens, vel ejus superior, ut rem in integrum restituat, quam ut secularis vim vi repellat; tum quia nec Ecclesiae permittitur vim a Principe suo juri illatam propriis vindicare viribus; tum quia judicialis cognitio de laesione, nobiliori potius tribunali, quod est Ecclesiae, quam ignobiliori convenit. In secundo casu, si reus juste damnatus turbas movet, compescendus est a seculari potestate, et iudici Ecclesiastico auxilium seculare adjungendum: si injuste damnatus; turbando rempublicam injuste agit, dum implorandus esset iudex superior, aut cura Principi relinquenda; cui momenti haud difficulter cederet Ecclesia, uti Bernardo in ep. 108. testante semper consuevit.

Quoad 3. *R. N. A.* Etenim 1<sup>o</sup>. Jurisdictionis Ecclesiasticae unica origo est Christus, sapiens profecto et potens suae Hierarchiae institutor: indicia illius ap. Matth. 18. v. 15. et seq., 1. ad Timoth. 5. v. 19, et 2. ad Cor. 13. expressa habentur: illius per tria secula prima usus etiam miscellam secularem excludit. 2<sup>o</sup>. Ecclesia leges Imperatorias nonnullas correxit: quas adoptavit, ut suas tantum observat: alias ipsa addidit novas, ex quibus et Laici quaedam sua in tribunalia transtulerunt. 3<sup>o</sup>. Irritum fuit iudicium latum contra leges Imperatorias, non ut datas a Principe, sed ut adoptatas ab Ecclesia; unde in hoc casu neque ad Imperatorem, sed ad Concilium vel Metropolitam aut Patriarcham, seculis primis fiebat appellatio.

*Inst.* 1<sup>o</sup>. IMPERATORES etiam post iudicia Conciliorum cognoverunt causas Ecclesiasticas: nempe Constantinus M. causam Caecilianae et Donatistarum; Zeno causam Petri Mongi et Timothei Solofacioli; Mauritius causam Adriani Ep. Thebani cum Joanne Ep. Larissaeo. 2<sup>o</sup>. Episcopi celeberrimi usi sunt appellatione a iudicibus Ecclesiasticis ad Tribunal Imperatorium: uti Athanasius a Synodo Tyria ad Constantinum; Flavianus Antiochenus a Syn. Capuana et Alexandrina ad Theodosium; Hincmarus Laudunensis a iudicibus Ecclesiasticis electis ad seculares. 3<sup>o</sup>. Ipsi Pontifices recurrerunt ad Imperatores in simili causa: Leo I. quidem a Theodosio supplicans pro suspensione decretorum Latrocini Ephesini; Ejus Legati in Conc. Chalcedonensi, pro rescissione Canonis 28, Iudices Imperatoris invocantes; Leo IV. Ludovico Imp. arbitrium relinquens, ut, si quid a se *incompetenter* actum foret, ipse iudicio suo emendaret, ut Caus. 2. Qu. 7. Can. 41. refertur.

*R. Modus probandi jus per facta*, nec semper satis tutus est ab erroris periculo, cum non omnia fiant favente aut impellente jure; nec semper liber

ab excessu, cum et Græcorum et Latinorum attentata habeantur non tantum contra iudicii sed etiam ipsius Ecclesiæ rationes; nec semper congruus rei, cum potius in contrarium prostent monumenta: uti dum Justinian. Nov. 83. c. 4. ab Ecclesiæ iudicio cognitionem secularem dimovit, Valentinianus Chronopium ad tribunal laicum appellentem mulctavit, aliique auctoritatem Ecclesiastici iudicii prompta executione confirmarunt: nec semper favet intentioni, ut in objectis exemplis apparet.

Hinc quoad 1. R. Quæ in causa Donatistarum CONSTANTINUS fecit, ea jure facta non fuisse, fatetur ipse in epistolis apud S. Augustinum: quæ iudicia Episcoporum tum Arelate constituit, licite quidem fecit; quia cum consensu Melchiadis ac Sylvestri disposuit: quod vero ipse iudicium tum Romæ tentavit, tum Mediolani perfecit, bono quidem animo, sed non absque culpa suscepit, Aug. ep. 162. sic scribente: *Eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos iudicaret, a sanctis Antistitibus postea veniam petiturus*; de quo vide Tract. de Legibus. ZENONIS per Anthemium actio non erat iudicii usurpatio, sed Ecclesiæ defensio, qua Petrum ab hæreticis in cathedram Alexandrinam intrusum e sede expulit, et Canonum ac iudiciorum Episcoporum executio, qua Theophilum Patriarcham legitimum sedi restituit; ideoque non ab Acacio Constantinopolitano tantum, sed et a Simplicio Romano Pontifice fuit laudatus. Quod MAURITIUS Adrianum Thebanum appellentem remiserit ad Joannem Larissæum, recte fecit, cum hic Adriani Metropolita esset; quod Metropolitanum adjunxerit Joannem Ep. Justinianæ primæ, male egit; ideoque a Gregorio L. 2. ep. 7. Indict. 11. reprobatur, irritata etiam sententia: quod postmodum Honorato sedis Apostolicæ Diacono delicta iudicatur addiderit Senatorem, ea mente fecisse videtur, ne accusatus falsis criminationibus opprimeretur; quam etiam ob causam Gregorius eadem ep. iussiones Imperatoris *rectas* compellavit.

Quoad 2. R. N. Ass. Etenim ATHANASIVS a iudice Ecclesiastico non appellavit ad secularem, sed ab hostium violentia confugit ad auxilium Imperatoris. Conventum enim Tyrium nec fuisse Synodum Ecclesiasticam, asserunt PP. Alexandrini in ep. Synodica, et declarat Præses conventui datus Dionysius Comes: nec fuisse legale iudicium, sed latrocinium, docent non tantum Eusebiani, unice hic collecti, jurati hostes Athanasii; sed omnia etiam omnis iustitiæ et religionis species: nec juridicam fuisse provocationem, probat protestatio apud Dionysium facta, et discessio Constantinopolim ante suscepta, quam sententia a congregatis ferretur. FLAVIANUS ANTIOCHENUS contra Capuanam Synodum imploravit Theodosium, non deferendo iudicium, sed petendo duntaxat synodi celebrationem in Oriente, ut ipse præsens interesse posset: iudicium etiam Alexandrinum refugit, sed sine appellatione: opera demum Theophili Alexandrini, a Synodo Capuana et Damaso constituti mediatoris, reconciliatus cum Ecclesia universalis. HINC-MARI LAUDUNENSIS criminibus accessit frivola hæc et illusoria appellatio; sed quam refutavit Hincmarus Rhemensis, et repulit Carolus Calvus.

Quoad 3. R. Recursus Pontificum ad imperatores pro sua duntaxat et juris tutela fuerat, minime pro deferendo iisdem causæ Ecclesiasticæ iudicio. *Primum* patet in LEONIS I. provocatione, ad noxios Latrocinii Ephesini effectus sufflaminandos: *Secundum* in Legatorum Apostolicorum postulatione, ut innotesceret an canon 28. a Patribus reipsa ac libere fuisset statutus: quem,

quamvis Legatorum intercessioni non cederent iudices, vigore juris tamen caruisse, alias jam est dictum. LEONIS alterius delationem quod attinet, non fuisse illum hujus nominis IV. innuit silentium hujus rei in omnibus illius epistolis, et absentia cujuscumque cum Imperatore controversiæ. De LEONE III. Anastasius quidem refert, sponte obtulisse se Carolo suam innocentiam probaturum; sed Episcopos ne hoc quidem permisisse.

Cæterum cujuscumque hoc LEONIS effectum sit, de iudicio quodam in Romanos civili exercito dictum videtur: in quod utique Imperator ea ætate jus etiam habuit; quamvis non *emendari* Pontifex a iudicibus dandis, sed errorem ab illis indicatum ipse *emendare* voluerit.

*Inst. 2.* Etenim: 1º Conc. Romanum gratias agit Gratiano et Valentiniano, quod Damasi causam iudicarent hi Imperatores. 2º. Conc. Francofordiense Can. 6. statuit partes iudicio Metropolitanis non acquiescentes, posse deferre suam causam ad Regem. 3º. Justinianus Nov. 123. cap. 21 mandat causam ad Imperatorem deferri, ubi iudex laicus et sacer in eandem sententiam contra Clericum ferendam non convenirent: simile quid sanxerunt Carolus M. et Ludovicus Pius in Capitularibus. 4º. Ludovicus sanctus causas beneficentiales et iudicia de his fieri decrevit secundum Jus commune et canones: cujus etiam rei curam postmodum Martinus V. in Bulla *Apostolicæ sedis* Regibus Gallorum commisit. Ergo.

Quoad 1. R. Imperatores ut custodes pacis publicæ et Ecclesiæ defensores, et quidem rogati, schismaticis restiterunt, Damasum legitime electum tuiti; et hinc merito a Patribus grates retulerunt.

Quoad 2. R. Siquidem Canon 6. cum reliquis, præter definita contra Felicis et Elipandi errores, confirmatus fuit a Pontifice; is quidem pro perturbato tunc Ecclesiæ Gallicanæ statu erat proficuus: sed nec prohibebat appellationem ad sedem Apostolicam, nec agnoscebat hanc potestatem tanquam jus Imperatori proprium; sed velut officium ex prudenti œconomia transferendum committebat.

Quoad 3. R. Mandatum JUSTINIANI pertinet ad delicta non Ecclesiastica, in quibus hoc tempore Clerici a iudice seculari non erant omnino exempti. CAROLI M. et LUDOVICI PII nulla est oppositio, cum ex Capitularibus L. 1. c. 38. L. 2. cc. 179. 223. et 237., L. 6. c. 123. et L. 7. c. 107. manifestum sit, ad Episcoporum tribunal non Ecclesiastica tantum, sed et civilia Clericorum delicta pertinuisse, iisque recursum ad Principes fuisse prohibitum.

Quoad 4. R. Quod S. LUDOVICUS statuit, postulantibus Episcopis fecit; et defensoris Ecclesiæ munus implevit, non iudicis partes assumpsit. MARTINI concessio, si quid ultra custodiam Canonum in beneficiorum collatione impertit, privilegium tribuit, jus non supponit. Porro quam non aliena a nobis sint Concilia et Principes, docent Synodi Antiochena Can. 12. et sub finem seculi 4. Carthaginensis III. Can. 9. et Milevitana Can. 10: Imperatores Constantinus M. ap. Optat. Milev. L. 1. con. Parm., et Athanas. in ep. ad Solitar., Marcianus apud Facund. Hermian. L. 12. c. 31. Basilius in Syn. VIII. act. ultima, qui Episcopis iudicia Ecclesiastica firmarunt, laicos ab iis removerunt, appellationes ab illis ad hos legibus ac pœnis cohibuerunt.

185. *Respondeo II.* Remedium appellationis ad Pontificem in causa etiam personali Episcoporum est juris Divini, antiqui usus, et propriæ significatio-